



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

CONSTITUTIO APOSTOLICA

FODIANA*

ECCLESIA FODIANA AD GRADUM METROPOLITANAЕ SEDIS EVEHITUR
SIMULQUE ECCLESIASTICA PROVINCIA CONSTITUITUR FODIANA
NUNCUPANDA ET CIVILI CONSTANS DICIONE EODEM NOMINE APPELLATA

Sacrorum Antistites, qui pastorali munere in civili ditione Fodiana funguntur, curam agentes de christiana fidelium progressione illic adiuvanda, nuper ab Apostolica Sede poposcerunt ut, secundum normas in Decreto « Christus Dominus » sub n. 40 statutas, Fodiana Ecclesia in sedem metropolitanam erigeretur unaque provincia ecclesiastica in civili ditione Fodiana constitueretur eodem nomine nuncupanda. Nos igitur hac de re Regionis pastoralis Apuliae consuluimus Conferentiam Episcopalem atque, persuasum habentes id Christifidelibus profuturum, non dubitavimus statuere ut adhibitae Nobis preces audirentur. Eapropter, certiores etiam facti de illorum consensu, quorum interest necnon eorum qui id sua interesse contendunt, vi et potestate Nostra Apostolica ea, quae sequuntur, hasce per Litteras decernimus atque iubemus.

Cathedralem Ecclesiam Fodianam, Apostolicae Sedi adhuc immediate subiectam, ad gradum metropolitanae Ecclesiae extollimus eique iura et privilegia conferimus, quae iuxta ius commune omnium eiusdem dignitatis Ecclesiarum sunt propria, eodemque tempore ecclesiasticam tollimus provinciam Sipontinam. Novam vero condimus ecclesiasticam provinciam Fodianam nominandam, quae constabit tum Ecclesia Fodiana hodie metropolitana facta tum hisce ei suffraganeis Ecclesiis : Sipontina, quae dignitatem sedis archiepiscopaloris sibi servabit ; Troiana, Apostolicae Sedi immediate adhuc subiecta ; Asculana et Ceriniensi, Bovinensi, Lucerina et Sancti Severi, quae ad hunc usque diem metropolitanae Ecclesiae Beneventanae suffraganeae erant ; Vestana, quae usque ad praesens suffraganea erat metropolitanae Ecclesiae Sipontinae. Fodianum pro tempore

Antistitem Nos Metropolitae perpetuo insignimus nomine iuribusque exornamus et privilegiis, quibus, ut in sacris canonibus est caustum, fruuntur ceteri ubique Metropolitae, quorum tamen et oneribus et officiis eum ipsum adstringimus. Item ad altioremetropolitanorum gradum etiam Collegium Canonicorum Fodianae Ecclesiae evehimus. Quae hic praescripsimus, ea ad effectum adducantur a Venerabili Fratre Villelmo Motolese, Archiepiscopo Tarentino atque Conferentiae Episcopalis Regionis pastoralis Apuliae Praeside, quem deputamus et facultatibus huius mandati causa instruimus, haud excepta facultate eiusdem officii alicui presbytero subdelegandi. Exaratis autem actorum documentis, certa eorum exempla sueto more signata sigilloque impressa ad Sacram Congregationem pro Episcopis cito mittantur. Has Litteras Apostolicas sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis haud obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nonagesimo septuagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

AUGUSTINUS CASAROLI <i>a Publicis Ecclesiae Negotiis</i>	SEBASTIANUS Card. BAGGIO <i>S. Congr. pro Episcopis Praefectus</i>
---	---

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*
Godefridus Mariani, *Protonot. Apost.*

*AAS, vol. LXXI (1979), n. 8, pp. 563-564.